

**P**atet hæc Insula in longitudine centum miliarium Germanicorum. Pro maiori parte inculta est, & montosa, presertim versus plagam Septentrionalem; ob austera spiracula venti Circij, quæ nec frutices, ut tradit Olaus, elenari permitit. Subest regno Noruegiæ, qua ratione rex Caniz, (qui & Noruegiæ) eo quotannis præfectum immittit, cui nunc obediunt. Tempore Haraldî Pulchricomîs, sunt qui putant inhabitari cœptam: versus annum Christi millesimum. Diuiditur in quatuor distinctis partibus, secundùm quatuor plagas mundi, scilicet in **WESTFIORDVNG**, **AVSTLENDINGAFIORDVNG**, **NORDLENDINGAFIORDVNG**, & **SYNDLENDINGAFIORDVNG**, quasi dicas, Occidentalis quadrans, Orientalis quadrans, Septentrionalis quadrans, & Meridionalis quadrans. Diuiditur in duos Episcopatus cathedrales, *Schalholi*, & *Holi*. Moneta caret sua, & vrribus: nam montes habent pro vrribus, & fontes pro deliciis: Ex ossibus piscium domos extruunt, penuria lignorum. Lingua vruntur Cimbrica, siue veteri Germanica. At graminis adeo fœcundum solum ferunt, ut pecus à pabulo interdum arceatur, ab ruina ne suffocetur pericûlum. Mercatores annuatim hanc Insulam frequentantes, hinc deferunt pannos, *Fatras* nominatos, Sulphur, *Stæckvis* (quod vulgo sic vocatur) varias carnes, boues, butyrum, sæpe vellera, ferarum pelles, vulpes, falcones albicantes, coruus, vrsos, lepores albicantes, ac multa similia. Multa naturæ in hac Insula miracula: Inprimis est Hecla mons, semper ardens. Fons est, qui fumigantis aquæ vitio nativam rei, cuiuslibet originem demolitur: & quidquid fumi huius exhalatione respargitur, in lapideæ naturæ, duritiem transmutatur, forma dumtaxat superstite.